



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Incarnatio Mystica Sive Christiformitas

Roger, Nicolaus

[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.

Cap. II. Iesvs amabilis ob gratia[m] unionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37940

CAPUT II.

*IESVS amabilis ob gratiam
unionis.*

CUM gratia unionis non aliud sit, quàm ipsum esse personale Verbi collatum gratis humanitati, profectò quanta est amabilitas, sive bonitas Dei ac Verbi, tãta est Dei-hominis, cui nil amabilitatis per hoc decedit quod humanitas ad eam nostra velut punctus ad lineam, ut loquitur B. Thomas (a) accedit: Imò vel hinc nonnulla totius amabilitatis creatæ, quàm homo compendio continet, ad totam increatam fit accessio: ac tantò nobis charior Deo Deus-homo, quanto pro nobis vilior, nobisq; similior. (b) Osculum est nobis datum Christus JESUS: os osculans verbum assumens, osculatum caro quæ assumitur, osculum verò quod pariter ab
oscu-

(a) *Opusc. 2.* (b) *Bern. serm. 2. Cant.*

osculante, & osculato conficitur, Persona ipsa ex utroque compacta mediator Dei & hominum homo Christus JESUS. Cui singulariter semel os Verbi impressum tunc est, cum ei se corporaliter plenitudo Divinitatis infudit. Felix osculum, ac stupendâ dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed Deus homini unitur.) (c) Agnosce vel hinc mediatorem Dei & hominum, & hominem Deum, quod ab ipso natiuitatis suæ exordio diuinis humana sociat, imasummis. Nascitur ex muliere, sed cui fecunditatis fructus sic accedat, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur, sed panni ipsi Angelicis laudibus honorantur, absconditur in præsepio, sed proditur stellâ radiantem de cœlo. Circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis, at nomen JESU, quod est super omne nomen, gloriam indicat majestatis: Cir-

C

CUM-

(c) Bern. serm. de Circumcis.

50 CHRISTIFORMITAS,
cumciditur tanquam verus Abrahæ
filius, JESUS vocatur tanquam filius
Dei.) Denique omnia Christi ferè di-
cta, factaque Deum hominem admi-
rabilis mixturæ quasi caractere si-
gnata demonstrant, ut infrà observa-
bitur. Ergo Christus est verbum illud,
per quod omnia facta sunt, nec alia
est persona hominis, alia verbi. Ipse
est omniscientia, ipse omnipotentia,
ipse omnis bonitas, & hoc totum ho-
mo est, quod Deus Verbum est. (d)
Et quid dicimus, quando dicimus
Deum & Verbum? omne bonum, &
quidem Christus sic omne bonum est,
ut præter omne bonum, quod Deus
est, includat omnis creaturæ bonum,
quod homo est. Ergo quale bonum est
Christus? Omnis boni bonum, undè
omne bonum: bonum, cui non adda-
tur quod sit nisi ipsum bonum. Ipse
Dominus JESUS cum dixit (e): *Nemo
bonus, nisi solus Deus*, nonne extimulavit
nos

(d) Aug. Ps. 26. (e) Luc. 18.

nos ad inquirendum , & ad distinguendum quid sit bonum alio bono bonum, & bonum seipso bonum?) O quantum bonum , à quo sunt omnia bona , Verbum caro! bonum tuum quare ô anima. (f) Est enim bonum aliud alteri , & omnes creaturæ habent quoddam bonum suum , bonum integritatis suæ , & perfectionis naturæ suæ, interest quid cuique rei imperfectæ sit necessarium , ut perficiatur. Quare tuum bonum , summum bonum , quale est per unionis hypostaticæ gratiam Verbum caro. Pecori quid bonum est , nisi implere ventrem , carere indigentia , dormire, gestire, vivere, sanum esse , generare? Tale tu bonum quæris? Cohæres Christi quid gaudes , quia socius es pecorum? Erige spem tuam ad summum amabile , summum bonum JESUM tuum.)

(f) Aug. Ps. 102.

ECce ipse Christus (a) tibi proponat: pete à me quod vis: si tibi Imperator diceret, pete quod vis, quot tribunatus, quot comitatus ructares? Quanta tibi proponeres & accipienda, & alijs largienda? Deo tibi dicente, pete quod vis, quid petiturus es? Excute mentem tuam, exere avaritiam tuam, proinde quantum potes, & dilata cupiditatem tuam: non quicumque, sed JESUS omnipotens tibi dixit, pete quod vis. Si possessionum es amator, desideraturus es totam terram, ut omnes, qui nascuntur, coloni tui, aut servi tui sint. Et quid cum totam terram possederis? mare petiturus es, in quo vivere tamen non poteris. In hac avaritia te pisces superabunt. Sed fortè insulas possidebis; transcende & hæc: pete & aërem, quamvis volare non possis, porrige cupiditatem tuam usque ad cœlum,

(a) Aug. Ps. 34.

Iam, dic tuum esse solem, lunam, stellas, quia ille, qui fecit omnia, dixit: *pete quod vis.*) Scientiam mavis? *pete quantum habent ipsi Angeli.* O quanto sapientius Christologus Angelus Thomas dicenti Domino JESU: *Benè scripsisti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies? Pete quod vis.* Non aliud, ait, peto, nisi te Dñe: nihil invenit melius, nihil charius, quàm ipsum qui fecit omnia. (b) Tu quoque ipsum pete qui fecit omnia, & in illo, & ab illo habebis omnia quæ fecit: omnia chara sunt, quia omnia pulchra sunt, quid illo pulchrius? fortia sunt, sed quid illo fortius? Et nihil magis vult dare, quàm se. Si aliquid inveneris melius, pete: si alia petieris, injuriam facies illi, & damnum tibi, præponendo illi creaturam qui Creatorem continet & creaturam. In hoc amore dixit ille (c): *Dominus pars hereditatis meæ.*) In hoc amore Apostolus Tho-

C 3

mas

(b) Aug. *ibid.* (c) Ps. 15.

mas palpans tenensque JESUM exclamavit (d): *Dominus meus, & Deus meus!* Hoc uno scilicet summo contentus bono. Tu (e) si amator JESU esse vis, suavissimis medullis, castisque sapspirijs ipsum dilige, ipsum ama, illi flagra, illi inha, utpote omni bono, quo jucundius nihil invenis, quo latius, quo diuturnius nihil. Quid enim melius, quàm ipsum bonum?

(d) *Ioan. 20.* (e) *Aug. Ps. 85*

§. 3.

Mihi verò Domine JESU Deus-homo (a) tibi adhærere bonum est, ponere in te spem meam. Da mihi Deus cordis mei, ne amplius in me subsistam, sed in te, sine quo nil possum facere, ex quo mea tota sufficientia, etiam ad cogitandum benè bonum, ac subsistentia mea tota est: *Mea enim substantia tanquam nihilum ante te* (b); ex te omnis operum nostrorum bonitas, & Deificatio; gratia enim
tua

(a) *Aug. ps. 83.* (b) *Ps. 38.*

tua ipsa unio nostra tecum est , ipsa
Christiformitas. Omnino unio gratiæ
Christi , quæ diffusa est in cordibus
nostris per Spiritum Sanctum , est
ipsa quasi gratia unionis hypostaticæ,
quæ nos divinæ facit consortes natu-
ræ , & filios Dei. Sicut enim illa
non effectus , sed principium tum
ipsius esse , tum meritorum Christi
fuit : Sic nostri esse Christiani ac me-
ritorum origo est gratia, non fructus,
aut merces. Cùm enim gratia sit jam
non ex meritis. Illa propriam hypo-
stasim coëxistere secum non patitur :
hæc amorem proprium & peccatum
excludit , quod unicum nostrum est.
Illa quod semel assumpsit , nunquam
dimisit, ne in morte quidem : hæc ni-
si dimissa non dimittit , nec mortuis
quidem excidit. Illa cum Verbo fuit :
ista , quia Christi sanguine sata, ejus-
que soboles , ad eum inclinatione
speciali motuque innato fertur , &
illi animam agglutinat. Illa velut

unguentum in capite, quod descendit
in barbam Aaron, & in oram vesti-
menti ejus, manavit in omnes animæ
& corporis facultates, in dicta, facta,
cogitatusque Christi, ita ut nusquam
non emineat character quidam The-
andricus, & singularitatis Christi no-
ta, sicut ferè vox nostra, scriptura, in-
cessus, & quicquid nostrum est, singu-
laritatis nostræ velut sigilli impres-
sionem quandam habent: hinc doctri-
næ suæ summam JESUS humilitate
concludit & charitate, istâ humanita-
tem, hac significante Deum, qui cha-
ritas est: hinc sine parabolis non lo-
quebatur, quæ humile quiddam in
fronte habent, at divinos sensus con-
tinent in recessu: hinc in ejus miracu-
lis emicat divinitas, at cum assumpto
humili semper instrumento, ut puta
voce, digito, salivâ, luto, simbriâ ve-
stimenti, aut quo alio simili carnis in-
firmitatem præferente: hinc Sacra-
menta sic instituit, ut accedente ver-
bo

bo ad elementum , quasi Verbo ad
carnem perficiantur ; hinc liberi ar-
bitrij nostri, & gratiæ suæ confœde-
ratione velut carnis Deique conjun-
ctione salutis nostræ opus voluit in-
choari & consummari. Sic igitur o-
mnia nostra in charitate fiant , sive
comedimus, sive bibimus, sive quid a-
liud facimus, omnia in nomine Domi-
ni, ut humanis divina jungamus,
ima summis, atque ut ferè Christifor-
mes decet, ac filios Dei, Verbum in-
carnatum istis incarnationis simula-
chris referamus. Item sicut monet A-
postolus: (c) Exhibeamus nosmetipsos sicut
ut Dei ministros per gloriam & ignobilita-
tem, per infamiam & bonam famam ; ut
seductores & veraces , sicut qui ignoti &
cogniti, quasi morientes, & ecce vivimus, ut
castigari & non mortificari , quasi tristes,
semper autem gaudentes ; sicut egentes,
multos autem locupletantes : tanquam ni-
hil habentes, & omnia possidentes. Deni-

C 5

que

(c) 2. Cor. 6.

58 CHRISTIFORMITAS,
que (d) qui habent uxores tanquam non
habentes sint: & qui flent, tanquam non
flentes: & qui gaudent, tanquam non gau-
dentes: & qui emunt, tanquam non possi-
dentes: & qui utuntur hoc mundo, tan-
quam non utantur; præterit enim figura
hujus mundi. At non præterit forma
Christi. Atque ita demum admirabili
tam dissimilium unione assimilabi-
mur Homini-Deo.

(d) 1. Cor. 7.

C A P U T I I I.

IESVS amabilis ob intel-
lectûs doctores.

§. I.

SI ad quorundam ingeniorum e-
minentissimam celsitudinem ob-
stupe scimus, oculos in profundissi-
mum stoliditatis præ illis nostræ bara-
thrum depressi: Si Tullij Romano
Imperio par ingenium, Augustini
Christiano, ut ita dicam, orbi non im-
par suspicimus, si Tostatus, vel alius
quis canitur Ille stupor mundi, qui scibile
discu-